

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Margarita, a loco dormitiōnis Cortonensis appellāta, Laviāni in Tūscia ortum hābuit. Primis adolescētiæ suæ annis mundi voluptātibus capta, in montis Politiāni civitatē vanam et lūbricam vitam duxit; sed cum amāsium abhōstibus fœde transfōsum, indicio canis in fōvea sub strue lignōrum tumultum fortuito reperisset, illico facta est manus Dōmini super eam, quæ magno culpārum suārum mœrōre facta, exiit foras, et flevit amāre. Itaque Laviānum revērsa, crine detōnso, negligēto cāpite, pullaque veste contēcta, erroribus suis mundique illēcebris nūntium misit; inque ædibus Deo sacris, fune ad collum alligāto, humi procūbens, ab omnibus, quos antea mōribus suis palam offēderat, vēniam exorāvit. Mox Cortōnam profēcta, in cinere et cilicio a se læsam Dei majestātem placāre stūduit, donec post triennāle virtutum experimentum a frātribus Minōribus spiritalis vitæ dūcibus terti

ordinis hābitum impetrāvit. Uberes exinde lācrymæ ei familiāres fuērunt, atque ima suspīria tanta animi contritione ducta, ut diu elīnguis consisteret. Lēctulus nuda humus, certical lapis aut lignum porrēxit, atque ita noctes insōmnes in cōlestium meditatiōne trāhere consuevit, nullum āmplius pravum desidērium perpēssa, dum bonus spīritus prōptior infirmam carnem ad subeūdos labores erigēbat.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: *Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spēcie tua et pulchritudine tua, intēnde, prospere procēde, et regna. — Et deducet.

Lectio v.

Adāmonē insidiis, fūnestisque conātibus lacessita, mulier fortis hostem ex verbis detēctum semel atque iterum invicta repulit. Ad eludēdum vanæ glōriæ lenocinium, quo a malo spīritu petebatur, prætēritos mores suos per vicos, et plateas alta voce accusāre non dēstitit, omni supplicio se ream inclāmans: nec nisi

a confessārio deterrita, in speciosam faciē, olim impūri amoris causam, sævire abstīnuit, ægre ferens suam formam longa carnis maceratiōne non abolēri. Quibus aliisque magnæ pōnitentiæ argumētis suōrum criminum labe expiāta, atque sensus plane omnes a mundi illēcebris custodiret, digna facta est, quæ sæpe Dōmini consuetudine frueretur. Ejūsdem quoque Christi et Virginis Matris dolōrum, quod ipsa ardēter expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta, et vere mōrtua intērdum visa est. Ad eam prōinde veltuti ad perfectiōnis magistram ex dīssitis etiā regiōnibus plūrimi conveniebant: ipsa vero cōlesti, quo erat perfūsa, lumine, cōrdium secrēta, consciēntias hōminum, imo et peccāta in remōtis licet partibus Deum offēdentium cum dolōre et lācrymis detēgens, summāque in Deum et prōximum caritāte fervens, ingentem animarum fructum operāta est. Ægris ad se veniētibz salutem, obsēssis a dæmo-

ne liberatiōnem impetravit. Pūerum defūctum, lugēte matre, ad vitam redūxit. Imminētes bellōrum tumultus assiduis oratiōnibus sedavit. Denique summæ pietātis opēribz vivos et mōrtuos sibi demeruit.

R. Dilixisti justitiam, et odisti iniquitatem: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vij.

TOT sanctis opēribz occupāta, de rigōre quo assidue corpus suum exercēbat, nihil remisit, neque a stūdio cōlestia meditādi se avēlli passa est, in utrōque vitæ genere plane admirānda, utramque sorōrem, Magdalēnam et Martham referens. Tandem pro se Dōminum orans ut ex hac valle lacrymarum sursum in cōlestem patriam evocarētur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitiōnis ei patefactis. Mēritis itaque et laboribus plena, ac cōlestibus donis cr. nulāta, cōpit cōrporis viribus destitui, perque dies decem et septem nullo

cibo, sed divinis tantum collóquiis refecta est: tum sanctissimis Ecclesiæ sacramentis rite susceptis, vultu hilari, atque oculis in cœlum conversis, octavo Kalendas Martias anno ætatis quinquagesimo, suæ conversionis vigesimo tertio, humanæ vero salutis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migravit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorruptum, illæsum, et suaviter olens summa religione colitur in ecclesia fratrum Minorum, quæ jam ab eadem Margarita appellatur. Miraculis continuo floruit, quibus permoti Romani Pontifices ad augendum ejus cultum plurima liberaliter indulserunt. Benedictus vero decimus tertius in festo Pentecostes, die sexta decima Maii anni millésimi septingentésimi vigésimi octavi, solémnem ejus canonizationem religiosissime celebravit.

℟. Fallax grátia. [169]

In iij. Nocturno, Homilia. Cœlorum regnum. de Communi. [171]

Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laud.

Ad Bened. Aña. Ut cognóvit, * resipuit seraphici ordinis Magdaléna: dimissa sunt ei peccata multa, quia diléxit multum.

In ij. Vesp. ad Magnif. Aña. Ego dilécto meo, * et ad me conversio ejus: inveni quem diligit ánima mea, tenui eum, nec dimittam.

Commem. Feriæ.

DIE V. MARTII.

S. Joannis Josephi
a Cruce

Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [112] præter seq. Oratip.

DEus, qui beátum Joán-nem Joséphum Confessórem tuum per árduas paupertatis, humilitatis, et patientiæ vias cœlesti glória sublimasti: da nobis, quæsumus; ut carne mortificati, ejus imitemur exéempla, et gaudiis perfruamur æternis. Per Dñ.

Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones. Beátus vir. de Communi ij. loco. [128]

In II. Nocturno.

Lectio iv.



Sclæ regni Neápolis in urbe apud Anáriam insulam, paréntibus nobilitate

sanguinis, morúmque probitate præstantibus, ortus est Joánes Joséphus a Cruce. Christianæ pietatis semina, quæ in ejus animam, supernis benedictionibus præventam, cum lacte instillaverant, fructus mox uberrimos attulerunt. Tenerrima adhuc ætate, nedum a nugis puerilibus abhorrui, sed virtutes excólere cœpit illustriores, siléntii potissimum, mortificationis, mundi suique ipsius abnegationis, quas assiduo orationis stúdio confovebat. Deiparæ cultum, quem ad óbitum usque in dies auxit, intérea temporis arrípuit; dominicæque passionis, et Eucharistiæ mysteria afféctu peculiari prosequébatur. Sancti Petri de Alcántara institutum, quod Joánes de sancto Bernárdo ex Hispánis Excalceatis, Cleménte nono approbante, nupérime in Itáliam invéxerat, divino afflante Númine, anno vitæ suæ sextodécimo amplexus est Italórum primus. Seraphico Patriárcha, fidissimóque ejus alúmno Petro de Alcántara in ipso tirocinio sibi ad imitandum propósitis,

mirumquam perfécte peniténtiam hujus, et contemplationem, humilitatem illius ac paupertatem, jam tum fúerit assecútus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum:

* Et dedit illi claritatem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Tertio vix decúrso a solémni professione sua anno, Pedemontáni Aliphæ cœnóbii fundatióni destinátur: quod ejus ópera exíguum ádeo evásit, ut altérius, quod olim in Pedróso Extremadúre sanctus Petrus de Alcántara, cléricus ipse quoque, excitáverat, imáginem simillimam referret. Sacerdótio ex obediéntia inaugurátus, disciplinis morálibus, quas nunquam perdidícerat, improvísio excúltus visus est. Superiorum vénia, non longe ab eo cœnóbio, sacram erémum exstruere aggressus subter excélsi montis dejéctu, ut absolverétur quam citíssime, ligna, lápides, calcem húmerissuis,

mordáci lorica contéctis, exportábat; ita ut per calcánea cruor ubértim in terram deflúeret. Fratrum rogátu leges quasdam pro sacro illo recessu peculiáres cóndidit, dignas, quæ a sede apostólica confirmaréntur. Novitiórum regímíni præpósitus, eórum ad vitam regulárem componere mores eo proféctu eníxus est, ut illórum áliqui sanctitátis et miraculórum fama inclarúerint. Verum cum Clemens Papa undécimus sæculi décimi octávi inítio, fratres Italos Excalceátos ab Hispánis in regno Neápolis sejúnxisset, illíque nulla regíminis forma potiréntur, ab eódem Pontífice, obsisténte licet humáni géneris hoste, próvinciæ Neapolitánae, sancti Petri de Alcántara nuncupátæ, erectiónem obtínuit.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℞. Índuit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Primus novæ istiúsmodi provinciæ Miníster renuntiátus, régimen, quod

abdicáverat, sacrae Congregatiónis Episcopórum et Regulárium jussu assumere coáctus, difficile relátu est, quot qualésque calúmniae Dei fámulo devoráre opus fúerit, ut Itálicam Excalceatórum fratrum famíliam constabilíret. Rebus compósitis, eo sese totum convértit, ut duplex ille Petri de Alcántara contemplatiónis, et pœnitentiæ spíritus altas inter suos radices ágeret, quos præclaríssimis virtútum exéplis antebat, humilitáte imprímis, rigidáque claustrális disciplinæ custódia. Paupertáte, et abstinentia eníxit admirábili. Unicum ad nudam carnem sexaginta quátuor annis hábitum adhibuit, perque viginti quátuor annos, priscórum Eremicolárum ritu, pantantum ac frúctibus victitávit, quod edúlii genus ex obediéntia in nauseósum commutávit férculum. Flagéllis aspérrimis, ciliciis, et cruce férrea acútis instrúcta claviculis, corpus suum dilaniábat. Illud étiam de eo fertur, quod creberrimas inter orándum éctases passus est, quodque ráptibus, pro-

Hymnus.

Christe, sanctórum deus Angelórum,
Gentis humanæ Sator, et Redemptor,
Cœlitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus pacis Michael in ædes
Cœlitus nostras véniat; serénæ
Auctor ut pacis lacrymósa in orcum
Bella reléget.

Angelus fortis Gábriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amíca cœlo,
Quæ Triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.

Angelus nostræ médicus salútis
Adsit e cœlo Ráphael, ut omnes
Sanet ægrótos, dubiósque vitæ
Dirigat actus.

Virgo dux pacis, Genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Régia cœli.

Præstet hoc nobis Déitas beáta

phetía, miraculis, aliisque hujúsmodi supernaturálibus donis vivens clarúerit. Dénique zelo animárum absúptus, octogenárius, apopléctico morbo corréptus, tertio Nonas Mártias in ósculo Dómini obdormívit in cœnóbio sanctæ Lúciæ Montis urbis Neápolis anno septingentésimo trigésimo quarto supra millésimum. Eúndem novis miraculis coruscántem, anno ab illíus decésu quinquagésimo sexto, Pius sextus Póntifex máximus Beatórum albo recensuit: et Gregórius Papa décimus sextus solémni ritu Dominica sanctíssimæ Trinitátis anno millésimo octingentésimo trigésimo nono Sanctórum fastis ascripsit.

℞. Iste homo. [120]

In iij. Nocturno, Homíliá. Pusillum gregem. de Comuni ij. loco. [131]

Lectio ix. de Homíliá et Commem. Feriæ in Laud.

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis

Archangeli. Dupl. majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud.

Psalmi ut in j. Vesperis de Comuni Apost. [1]

Patris, ac Nati, pariterque sancti Spiritus, cujus résonat per omnem

Glória mundum. Amen. **℟.** Stetit Angelus juxta aram templi. **℞.** Habens thuribulum áureum in manu sua.

Ad Magnif. Aña. Ingressus Gábríel Angelus ad Mariam Vírginem, dixit: Ave, grátia plena, Dóminus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

DEus, qui inter céteros Angelos ad annuntiándum Incarnatiónis tuæ mystérium, Gábríelem Archángelum elegisti: concéde propítius, ut qui festum ejus celebrámus in terris, ipsius patrocinium sentiámus in cœlis. Qui vivis et regnas.

Comm. Feriæ in Quadrag.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Archangelórum Dóminum, * Venite adorémus. **Ps.** Veníte. 2.

Hymnus. Christe. *supra.*

In I. Nocturno.

Aña. Dixit Angelus Gábríel ad Daniélem: Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis implébitur visio.

Psalmi trium Nocturno-

rum ut in Officio votivo de SS. Angelis. [290]

Aña. Ecce vir Gábríel, quem videram in visióne, cito volans tétigit me in témpore sacrificii vespertíni, et dócuit me.

Aña. Cumque Gábríel loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram, et tétigit me, et státuit me in gradu meo.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi. **℞.** Habens thuribulum áureum in manu sua.

Ex Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. ix. e

GO Dániel, cum adhuc lóquerer, et orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: adhuc me loquente in oratióne, ecce vir Gábríel, quem videram in visióne a principio, cito volans tétigit me in témpore sacrificii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixitque: Dániel nunc egressus sum ut docérem te, et intéllexeres. Ab exórdio precum tuárum egressus est sermo: ego autem veni ut indicá-

rem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem.

℟. Cum oráret Dániel, et confiterétur peccáta sua, et peccáta pópuli sui, * Ecce Archángelus Gábríel cito volans tétigit eum in témpore sacrificii vespertíni. **℟.** Cumque prostérneret preces suas in conspéctu Dei sui. — Ecce.

Lectio ij.

SEptuaginta hebdomades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummétur prævaricatio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iniquitas, et adducátur justitia sempiterna, et impleátur visio, et prophétia, et ungátur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut iterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum duces, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificábitur platéa, et muri in angústia témporum.

℟. Locútus est Gábríel Daniéli, et dixit: Ab exórdio precum tuárum egressus est sermo. * Ego autem

veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es. **℟.** Tu autem animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. — Ego.

Lectio iij.

ET post hebdomades sexaginta duas occidétur Christus: et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro: et finis ejus vastitas, et post finem belli statúta desolatio. Confirmábit autem pactum multis hebdomada una: et in dimídio hebdomadis deficiet hóstia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolatiónis: et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolatio.

℟. Ecce vir Gábríel, quem videram, cito volans tétigit me in témpore sacrificii vespertíni, et dócuit me, et dixit: * Dániel, nunc egressus sum ut docérem te, et intéllexeres. **℟.** Gábríel, fac me intéllegere istam visiónem: et venit, et stetit juxta ubi ego stabam, et ait ad me. — Dániel. Glória Patri. Dániel.

In II. Nocturno.

Aña. Gábríel Angelus apparuit Zachariæ, di-

cens : Uxor tua Elisabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem.

Añã. Et dixit Zachariás ad Angelum : Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea procéssit in diébus suis.

Añã. Respóndens autem Angelus, dixit ei : Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum : et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. **℞.** De manu Angeli. Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Homil. de Laud. Virg. super Missus est.

Lectio 1^a.

Missus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitror hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legatióne. Quod ex ejus nómine palam intéligi datur, quod interpretátum, Fortitúdo Dei dicitur : et quia non ab áliquo álio forte excellentióre se (ut assolet) spírítu, sed ab ipso Deo mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósito est, A Deo. Vel ídeo dictum est, A Deo, ne cui,

vel beatórum spírítuum, suum Deus ántequam Vírgini revelásse putétur consílium, excépto dumtaxat Archángelo Gabriéle. Qui útique tantæ inter suos inveníri potúerit excellentiæ, ut tali et nómine dignus haberétur, et núntio.

℞. Factum est, cum sacerdotío fungerétur Zachariás in órdine vicis suæ ante Deum, * Appáruit ei Angelus Gábriel, stans a dextris altáris incénsi. **℟.** Cumque ingrèssus in templum Dómini incensum póneret secúndum consuetúdinem sacerdotii sui. — Appáruit.

Lectio 2^a.

NEC discórdat nomen a núntio : Dei quippe virtútem Christum, quem mélius nuntiáre decébat, quam hunc, quem símile nomen honórat? Numquid est áliud fortitúdo, quam virtus? Non autem dedecens aut incóngruum videátur, Dóminum, et núntium commúni censéri vocábulo : cum símilis in utróque appellatiónis, non sit tamen utriúsque símilis causa. Aliter quippe Christus fortitúdo, vel virtus Dei dicitur, áliter Angelus. Angelus enim tan-

tum nuncupatívè, Christus autem étiam substantívè.

℞. Descéndit Gábriel Angelus ad Zachariám, dicens : * Ne tímeas, quóniam exaudíta est deprecátió tua, et uxor tua Elisabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem. **℟.** Et Zachariás turbátus est videns, et timor irruit super eum : ait autem ad illum Angelus. — Ne tímeas.

Lectio 3^a.

Christus Dei virtus et dícutur, et est : qui forti armáto, qui suum átrium in pace custodíre solébat, fórtior supervéniens, ipsum suo bráchio debellávit : et sic ei vasa captivitátis poténter erípuit. Angelus vero fortitúdo Dei appellátus est, vel quod hujuscémodi merúerit prærogativam officii, quo ejúsdem nuntiáret advéntum virtútis : vel quia Vírginem natúra pávidam, simplicem, verécúndam, ne miráculi novitáte expavésceat, confortáre debéret : quod et fecit, Ne tímeas, inquit, María, invenísti enim grátiam apud Deum. Conveníentè itaque Gábriel ad

hoc opus elígitur : imo quia tale illi negótium injúngitur, recte tali nómine designátur.

℞. Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum : et missus sum loqui ad te, et hæc evangelizáre. * Ecce eris tacens, et non póteris loqui usque in diem, quo hæc fiant. **℟.** Pro eo quod non credidísti verbis meis, quæ implebúntur tempore suo. — Ecce eris. Glória Patri. Ecce eris.

In III. Nocturno.

Añã. Missus est Gábriel Angelus ad Mariám Vírginem desponsátam Joseph.

Añã. Gábriel Angelus Mariæ dixit : Ecce Elisabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua.

Añã. Súscipe verbum Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum Gabriélem transmissum est.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. **℞.** Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio 4^a. **Cap. j. b**

In illo tempore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitatem Galilææ,

cui nomen Názareth, ad virginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis María. Et réliqua.

Homília sancti Juliáni Archiepiscopi Toletáni.

Lib. 2. contra Judæos, statim post principium.

Sacraméntum illud septuagínta hebdomadárum de Christi nativitate Dániel per Angelum didicit: similiter et Zachariás, apparénte sibi Angelo, Joánnem filium de se generándum audivit: et María, Angelo sibi prædicénte Christum ex se nascéndum, et crédidit, et assénsit. Hæc tria per Angelum dicta, et compléta vidémus. Jam ergo sollicité intuéndum est, utrum Angelus iste, qui Zachariæ, et Mariæ apparuit, ipsi quoque Daniéli illa prædixerit.

R. Missus est Gábriel Angelus ad Mariám Virginem desponsátam Joseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lumine: * Ne timeas María, invenisti enim grátiam apud Dóminum: ecce concípies, et páries, et vocábitur Altíssimi Filius. **V.** Quæ cum audisset, tur-

báta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutatio: et ait Angelus ei. — Ne timeas.

Lectio viij.

Quidem ipse Dániel in prophetiæ suæ volúmine, quando illa sacraménta hebdomadárum de Christi nativitate per Angelum futúra cognóvit, sic ipsius Angeli nomen evidénter expréssit. Dicit enim: Ecce vir Gábriel, quem videram in principio, cito volans tétigit me, et dixit: Dániel, animadvértes sermónem, et réliqua quæ ibi commemorántur. Item his temporibus secúndum Evangélium, Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expréssum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

R. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemisti: * Quæ Gabrielis Archángeli dictis credidisti, dum Virgo Deum et hóminem genuisti, et post partum Virgo invioláta permansisti. **V.** Benedícta tu in mulieribus, et benedíctus fructus ventris

tui. — Quæ. Glória Patri. Quæ.

Lectio ix. de Feria occurrente, sed si transferatur post Pascha, legitur seq.

Lectio ix.

Quod étiam de beátæ Mariæ Virginis partu sic in eódem Evangélio légitur: Missus est, inquit, Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad virginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis María. Jam ergo manifestum est, quod unus idémque Angelus Gábriel fúerit, qui et præfixa illa témpora Daniéli de Christi nativitate aperuit, et partum Virginis præsentem esse monstrávit. Ad tempus itaque præfínitum occúrrit, et olim a se dicta, óperis efficiéntia compléta esse convincit: et illic fidélis in prophetia hebdomadárum, et hic fidélis per mystérium revelátum.

Te Deum laudámus. 20.

AD LAUDES, et per Horas, Añæ.

1. Ingresso Zachariá * templum Dómini, apparuit ei Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi.

2. Ait autem Angelus: * Ne timeas Zachariá, quóniam exaudita est deprecátio tua.

3. Ego sum Gábriel * Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

4. Gábriel Angelus locútus est Mariæ, dicens: Ecce concípies in útero, et páries filium, et vocábis nomen ejus Jesum.

5. Dixit autem María * ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognóscó? Et respóndens Gábriel Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Capítulum. Dan. ix. f

Ecce vir Gábriel, quem videram in visióne a principio, cito volans tétigit me in témpore sacrificii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixitque: Dániel nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

Hymnus.

Placáre, Christe, sérvulis, Quibus Patris cleméntiam Tuæ ad tribúnal grátiae Patróna Virgo póstat. Et vos beáta, per novem Distincta gyros ágmina:

Antiqua cum praesentibus,
Futura damna pellite.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus;
Ut unus omnes unicum
Ovile nos Pastor regat.
Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris unico,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna saecula.

Amen.

℣. Stetit Angelus juxta
aram templi. ℞. Habens
thuribulum aureum in
manu sua.

Ad Bened. Añā. Gábríel
Angelus descendit ad Za-
chariam, et ait illi : Uxor
tua páriet tibi filium, et
vocábis nomen ejus Joán-
nem, et multi in nativitate
ejus gaudebunt : ipse
enim praebit ante faciem
Dómini parare vias ejus.

Oratio.

Deus, qui inter céteros
Angelos ad annun-
tiandum Incarnatiónis
tuæ mystérium, Gabríe-
lem Archángelum elegi-
sti : concéde propítius, ut
qui festum ejus celebrá-
mus in terris, ipsius pa-
trocinium sentiámus in
coelis. Qui vivis et re-
gnas.

In Quadragesima Com-
memoratio Feriæ.

AD TERTIAM.

Capit. ut supra in Laud.

℞. br. Stetit Angelus,
* Juxta aram templi. Ste-
tit. ℣. Habens thuribulum
aureum in manu sua.
Juxta aram. Glória Patri.
Stetit.

℣. Ascéndit fumus aró-
matum in conspéctu Dó-
mini. ℞. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Capitulum. Dan. ix. f

EGO autem veni, ut in-
dicárem tibi, quia vir
desideriórū es. Septua-
gínta hebdomades abbre-
viatæ sunt, ut finem acci-
piat peccátum, et impleá-
tur visio et propheta, et
ungátur Sanctus sanctó-
rum.

℞. br. Ascéndit fumus
arómatum, * In conspéctu
Dómini. Ascéndit. ℣. De
manu Angeli. In conspé-
ctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angeló-
rum psallam tibi Deus
meus. ℞. Adorábo ad tem-
plum sanctum tuum, et
confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Capitulum. Dan. ix. g

SCito ergo, et animad-
verte : Ab éxitu ser-
mónis, ut iterum ædificé-
tur Jerúsalem, usque ad

DIE XXII. MARTII.

S. Catharinæ Fliscæ
Adurnæ

Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi non
Virginum [160] præter
sequentia.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Cant. viij.

Quæ multæ non
potuerunt exstinguere
caritatem,
nec flumina obruent illam:
si dederit homo omnem
substantiam domus suæ
pro dilectione, quasi nihil
despiciet eam.

Hymnus.

Summis ad astra lau-
dibus

Tollamus omnes feminam,
Quæ sanctitatis gloria
Augeat decus Liguriæ.

Beata, cujus intimo
Latere nesciens sinu,
Foris inundat caritas,
Totisque membris æstuat.

Menses per anni circu-
lum

Jejuna plures transigit,
Solo Angelorum pabulo
Vitam labantem susti-
nens.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.
Amen.

Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt.

℞. br. In conspéctu An-
gelórum, * Psallam tibi
Deus meus. In conspéctu.
℣. Adorábo ad templum
sanctum tuum, et confité-
bor nómini tuo. Psallam
tibi. Glória Patri. In cons-
péctu.

℣. Adoráte Deum. ℞. Om-
nes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Quando dicendæ sunt,
Añæ et Capitulum de
Laudibus. [453]

Psalmi de Domin. 147.
et loco ultimi. Confitébor
tibi... quóniam. 165.

Hymnus. Christe. ut in
j. Vesp. [447]

℣. In conspéctu Angeló-
rum psallam tibi Deus
meus. ℞. Adorábo ad
templum sanctum tuum,
et confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat, Añā. Arch-
ángelus Gábríel ait ad
Mariam : Non erit impos-
sibile apud Deum omne
verbum. Dixit autem Ma-
ria : Ecce ancilla Dómini,
fiat mihi secúndum ver-
bum tuum. Et discéssit ab
ea Angelus.

In Quadrag. Commem.
Feriæ.

℞. Spécie tua et pulchritudine tua. ℞. Inténde, prospere procéde, et regna.

Ad Magnif. in utrisque Vesp. Aña. Pone me ut signaculum super cor tuum, quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut inférnus æmulatio; lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Oratio ut in Laud. [459]
In Quadrag. Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Quoties Hymn. Summis ad astra. **in j. Vesp. non recitatus fuerit, dicitur cum Hymno sequenti sub una conclusione.**

Hymnus.

DUM mente Christum concipit,
Membris fluéntem sáanguine,
Ardóre pectus íntimo
Sentit repénte córripi.
Hinc sancto amóre sáucia,
Terréna cuncta déspicit,
Advérsa fert alácriter,
Patíque quærit únice.
Mox et flagéllis cónterens
Artus rebéllés júgiter,
Christi dolórum párticeps
Crebro merétur éffici.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,

Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

In j. Nocturno, Lectiones in Quadrag. Mulierem fortem. de Communi. [164]
Post Pascha, de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

CAtharina Genuensis, paréntibus Jacobo de Flisco et

Francisca de Nigro, antiqua nobilitate conspicuis, in lucem édita, téneram ætatem inter adultæ pietatis exercitaciones exégit. Nam castigando corpore inténta, vix octénis in straménto, lignis cápiti pro pulvinári suppositis, somnum carpébat. Pueriles nugas aversáta, et ab ómnibus mundi delíciis abhórrens, in Christi cruciatibus jugi meditacione recoléndis tota fuit. Eo stúdio incénsa, in monastérium ingredi expébat; sed immatúra ætaspium puéllæ desidérium interpellávit. Intérea paréntes invitam Juliáno Adúrno nobili viro despondent, a quo tam ásperre ac dúriter hábita est, ut per quinquénium domi luctu tristitiæque ta-

bésceret; donec tædio ac mœróre confécta, a pristina severitate defléxit. Frigescénte autem caritate, ne ad ulteriorem vitæ licéntiam prorúeret, insígni miseréntis Dei beneficio factum est. Cum enim aliquándo ad pii sacerdotis pedes provolúta ejus se précibus commendáret, repentina mutacione dexteræ Excélsi, ac súbito sancti Spíritus igne corrépta, amoris in se divini cleméntiam potentiamque admirans et exclámans, fatéri ac prædicare cœpit.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.
℞. Spécie tua et pulchritudine tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et deducet.

Lectio v.

INde domum revérsa, Christum conspícere sibi visa est, sáanguine toto corpore diffluéntem, quaspécie sibi divinitus oblata, in contéptum atque ódium sui veheménter exársit. Membra cilicio domábat, jejúnium ita coluit, ut per annos tres et viginti ferias Advéntus et

Quadragésimæ transégerit solo Eucharistiæ pábulo refécta, amarissimo tantum usa potu ad sitim restinguéndam. Producébat oracionem ad plures horas, tantóque divini amoris incéndio conflábat, ut in corpus quoque ardor erúperet. Máxima erga próximum ferébatur caritate. Infirmis enim in magno nosocomio incredíbili sedulitate ministrábat, sumpribus liberaliter erogátis. Abjectissima quæque officia libénter obibat, tábida étiam ægrotántium úlcera aliquándo exosculáta. Injúrias, contumélias mulier vere fortis álacri ánimo excépit; assiduísque corporis animique dolóribus pene confécta, cruciatuum Christi párticeps fuit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vi.

TOT tantisque heróicæ fortitudinis et paciéntiæ probátam experiméntis, atque in agóne cristiánæ perfectiónis egré-